

**In Regio Ticinensi Gymnasio ... prolusio [de generatione] / [Lazzaro Spallanzani].**

**Contributors**

Spallanzani, Lazzaro, 1729-1799.

**Publication/Creation**

Mutinae : J. Montanari, 1770.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/tjezkncv>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

88 49168/P  
LAZARI SPALLANZANI

IN REGIO TICINENSI GYMNASIO


PUBLICI NATURALIS HISTORIÆ PROFESSORIS,

SOCIETATIS REGIÆ SCIENTIARUM LONDINENSIS, INSTITUTI SCIENTIARUM BONO-  
NIENSIS, ACADEMIÆ IMPERIALIS LEOPOLDINO-CAROLINÆ NATURÆ CURIOSORUM,  
SOCIETATIS REGIÆ SCIENTIARUM GOETTINGENSIS, ACADEMIÆ REGIÆ  
SCIENTIARUM, HUMANIORUMQUE LITTERARUM MANTUANÆ SODALIS &c.

PROLUSIO.



MUTINÆ MDCCLXX.



EX TYPOGRAPHIA JOHANNIS MONTANARI.

SUPERIORUM PERMISSU.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO

IN THE DEPARTMENT OF CHEMISTRY

PHILIP H. RAVENHILL, M.D.

ASSISTANT PROFESSOR OF CHEMISTRY

UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO, ILL.

1910

RECEIVED

FROM THE

LIBRARY OF THE

UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO, ILL.

1910

RECEIVED

FROM THE

LIBRARY OF THE

UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO, ILL.

1910





## PROLUSIO.



Uantopere Vires illæ, quas *Plasticarum* nomine insignivit Antiquitas, sibi tribuerent in universa Philosophia, vel ex eo colligendum facile arbitror, quod non uni conficiendæ quæstioni, non pluribus enucleandis, illustrandisque Physices locis præficerentur, sed ita sui imperium longe lateque propagarent per omnia, ut ipsis tanquam dominis tellus obtemperaret, maria obedirent, cœlestia corpora obsecundarent. Sicuti enim materie expertes, iis omnibus, quæ in hac immensa rerum corporearum Universitate continentur, ita infundebantur, si veterum Philosophorum placita audiamus, ita universam a Deo conditam Molem agitabant, miscebantque, ut res singulas producerent, gubernarent, ornarent, reficerent. Hinc fulgor si-



derum varius, tricorpor Saturni majestas, situs, magnitudines, intervalla, cursusque stellarum sempiterni. Hinc metallorum in terræ visceribus procreatio, lapidum forma, gemmarum splendor, atque nobilitas. Hinc animalium genera per amplissimas terræ, aeris, aquarumque regiones disseminata; mira illa, ac pene incredibilis arborum, plantarumque varietas; hinc denique sexcenta alia Virium Plasticarum magisterio subacta, quarum imperium ab ipsis Philosophiæ incunabulis jam inde coëptum, & per longissimam sæculorum seriem tranquille continuatum, tunc solum nutare, & labefactari visum est, cum antiquorum Physicorum excussa barbarie, nova philosophandi methodus inventa est, iter præmonstrantibus, priore quidem ætate Galilæo, postea Newtono, Redio, & Malpighio, tum postremis hisce temporibus, ut alios præteream, Vallisnerio atque Reaumurio. Hi enim præstantissimi Viri, quorum quotidie nomina audimus, scripta legimus, inventa admiramur, Vires Plasticas tanquam ridiculas, & Philosophiæ apprime injuriosas, ingenti experimentorum fide, solidissimisque rationum momentis profligarunt, & in ultimas barbarorum oras amandarunt. Atque utinam mansissent! Sed quemadmodum nulla est Philosophorum opinio tam lutulenta, & sepulta, quæ ex cineribus reviviscere aliquando non fidat, novumque invenire fautorem, cujus voce, ac pe-

ne



ne armis per summam recentioris Philosophiæ injuriam propugnetur; sic Vires Plásticas, ejectas jam, desertasque, perhumaniter excipere non recusavit Vir magnus nomine Buffonus, per fugio in suis lucubrationibus assignato, quo possent bono animo esse, contra irruentium hostium tela se tueri, atque etiam, si Diis placeret, amissum jam dominatum, eo saltem in loco, redintegrare. Quem locum, ubi primum incidi in Hominis Galli volumina, cohibere me non potui, quin perlustrarem curiosius; cumque totus observationibus qua suis, qua ex Needhamo Philosopho Anglo petitis ornaretur, cupido incessit easdem instaurandi; atque ut in rebus obscuritate involutis non infrequenter usuvenit, me abiisse sensi in sententiam a buffoniana longe diversam. Abutarne celebritate hac tanta, tempore, loco, patientia vestra, Auditores, si nonnulla de hac materia mihi ad dicendum in præsentia proponam, non iis quidem immorando, quæ illa tempestate per experimenta suscepi, nam hæc, qualiacunque sint, publici sunt juris, sed expendendo Animadversiones, quas proximo superiore anno in mea experimenta evulgavit Needhamus (a), ut sententiam de Seminibus univer-

(a) Nouvelles Recherches sur les découvertes Microscopiques, & la Génération des Corps Organisés, Ouvrage traduit de l'italien, de Mons. l'Abbé Spallanzani, Professeur d'Histoire Naturelle dans l'Université de Pavie, avec des Notes par Mons. de Needham, Membre de la Société Royale des Sciences, & de



verse receptam, quoad eius fieri posset, labefactaret, & ut in sui, & Buffonii Systema aliorum animos adduceret? Sentio equidem, nec sine magna animi perturbatione id sentio, me in maximum discrimen adductum, cum & de me ipso, ubi occasio tulerit, dicere debeam, & gravissimorum Hominum auctoritati resistere. Primum enim ne mihi invidiæ notam inurat, nonnihil timeo; alterum, ne me ab liberius dicendo impediat, non mediocriter vereor. Si enim hæc duo timorem facere debent Viris ad disputandum paratissimis, & ad dicendum quamlibet exercitatis, quid mihi tandem animi esse oportet, qui cum illis neque rerum inveniendarum subtilitate, neque exornandarum facilitate, neque cæteris sive philosophicæ, sive oratoriæ Artis subsidiis omnino sim comparandus? Huc accedit, quod hanc dicendi Provinciam ingresso verba occurrent necessario facienda (rerum agitandarum affinitate sic postulante) de immoderata, & in dies magis magisque gliscente Hypotheseon libidine, ut ingenuis Adolescentibus, quorum potissimum causa noster hic suscipitur labor, ea ob oculos ponam, quæ Naturæ Studiis arripiendis impedimento esse possunt; quæ universa si ex vero, prout candidum decet Philosophum, sint discutienda, in orationem prolabimur omnino arduam,

celle des Antiquaires de Londres, & Correspondant de l'Académie des Sciences de Paris. A<sup>l</sup> Londres, & à Paris. 1769.



duam, & periculosa alea plenissimam. Neque ulla res alia perculsum animum, consternatumque nunc erigit, atque confirmat, quam Instituti mei ratio, & causa bonitas, quam hodierno die mihi pertractandam decrevi. Sive enim illa attendantur, quae in suis Animadversionibus, ut Buffonii Systema confirmet, mihi obtrudit Needhamus, sive inuenta ab hisce Auctoribus observandi, opinandique in Naturae Operibus dogmata, in eo interdum, nisi mea me fallit opinio, peccare ea conjicio, ut priora quidem vel dubia, vel comprobando proposito minus sint consentanea; posteriora vero vel ex partium studio, vel ex praepudicatis hypothefibus profluxisse videantur. Quare faxeus omnino sum, aut certe partium mearum turpissime oblitus, nisi omnes industriae vires eo conferam, ut adhuc expositis, quoad possim, occurram; quod ea tamen moderatione faciam, ut Buffono, & Needhamo videatur adversari res; non oratio. Sed antequam ad propositum venio, finite quaeso, Auditores, ut studiola Juventuti unum ex praecipuis fontibus, quibus sua placita derivant hi Auctores, breviter, simpliciterque patefaciam.

Si in modica aquae perspicuae vi leguminum semina maceranda ponantur, brevi aquula illa, praesertim si aestivo tempore tentamen instituas, bestiolas natantibus apparet refertissima; hasque bestiolas cum formae, & magnitudinis



dinis differentia, tum novitas ipsa commendat. Non enim forma omnibus eadem, sed aliæ teretem, aliæ ovalem præferunt. Has in longum productas, facile diceret anguillas imitari, illas rostrum promittentes ea insecta referre, quæ proboscide armantur. Nonnullæ filis sunt irretitæ, quæ pone se trahunt, quasi caudas. Nullus apparens oris hiatus, nullum alimentorum iter, nulla oculorum, crurumque vestigia. Tantum corporis ministerio, modo hac, modo illac inflexi vibrantur in aqua, ceu pisces in lacu. Grandiores, tumidioreque opacum induunt nescio quid, dum minores pellucidulæ apparent, inæquabili varietate.

Phænomena hæc sunt certissima, & in oculos omnium incurrentia, si ab exquisitissimis lentibus præsidium sibi comparent. At quis unquam sibi in animum induisset, eadem tanti esse ad Virium Plasticarum commendationem, ut vel hoc nomine in primis Buffonus, atque Needhamus eas in Physicam esse revocandas affirmare non dubitent? Sed ex rebus in speciem levissimis causas, quas minime rere, interdum aucupantur Doctissimi, maxime si vim ingenii cum imaginandi ubertate conjungant. Bestiolarum scilicet, quas superius diximus, generatio non ovulis, non seminibus, sed principio plastico tota debetur, leguminum materiam usquequaque intimius pervadenti, eandemque ex vegeta-



getabili in animantem abire cogenti. Hancque immutationem omnino mirandam homines, Deosque testati fuisset oculis identidem se vidisse Needhamus, & Buffonus non modo affirmant, sed etiam contendunt. Sic animalia pleraque omnia, saltem minutiora, quæ visuntur in fluidis suum agnoscunt ortum a principio plastico, quod ab ipsis ad universam, amplissimamque Viventium Generationem ita traducitur, atque accommodatur, ut ea in re nullus fere sit locus, quem istiusmodi explicandi ratio non illustret, nulla controversia quamlibet prærupta, ac perdifficilis, quæ expedite, dilucideque non conficiatur. Omnino Vegetabilium, atque Animalium ortum explicare ingressi, nihil non explicant.

Dici non potest quam sæpe, quam multis modis, quantaque cum sedulitate ipse postea in nova hæc inventa inquisiverim, ad quæ amplexanda illorum me invitabat auctoritas. Sed, nescio quo fato, eventus nunquam fuit congruens. Animalcula quidem in conspectum veniebant, sed neque principii plastici, neque mirandæ illius metamorphoseos ulla, saltem probabilia, manifestabantur indicia. Sicuti porro dubitationum mearum loca per id temporis typis mandavi, ut eas Sapientum judicio committerem, ita hæitationes nunc meas nuperrimis Needhami cogitatis adversas, vobis, Auditores spe-



97  
 etatissimi, lubens subjiçio, petoque ab humanitate vestra, ut quantum veritatis amor postulare videtur, tantum Orationi meæ hodierno die concedatis.

Atque illam in primis Naturæ consuetudinem in meis observationibus repertam in me contorquet Needhamus, in eo scilicet repositam, ut animalculorum generatio leguminum ad corruptionem vergentium rationem sequatur, & modum. Et sane ubi illa corrumpi incipiant, rara animalcula tum primum se præbent visenda, quæ post deinde, crebrescente putredine, fiunt conferta; tum confertissima, ea gradum summum attingente. Tabescere destiterunt grana leguminum? Universam animalculorum plebeculam sustulere. At quis in tanta phænomenorum similitudine non agnoscat tabescentia grana in animalcula verissime transmutari, cujus propterea causa non aliunde quam a vi plastica sit expectanda?

Si liceat quod sentio libere dicere, nescio an objecta relatio tanti sit, ut volentes nolentes nos trahat in Buffonianum Systema, maxime cum in receptissima de Seminibus sententia suam, eandemque commodissimam, & verè omnino similem recusare non videatur explicationem. Non desunt profecto cumulatissima de infectis exempla, quæ sic generantur in fluidis, ut easdem plane vices subire deprehendantur, ac  
 ani-



animalcula Needhamiana, licet eadem a femi-  
 bus proficisci tam certum sit, quam quod ma-  
 xime. Ut brevitati consulam unum attigisse suf-  
 ficiat, quod instar sit omnium. Notissimæ sunt  
 volitantes illæ bestiolæ, quæ acuto alarum fu-  
 furro æstivis noctibus somnos turbant, & in ore,  
 atque manibus ruborem, tumoresque inducunt,  
 non sine ingenti prurigne; quæque propterea  
 omnibus invisæ, si naturales excipias Philoso-  
 phos, qui habent, unde eas diligant, probosci-  
 dem in primis maleficiæ effectricem admirati,  
 cum in ipso scelere elegantia se prodat. Hæ  
 porro antequam aerem incolant, vitam trahunt  
 in aquis, vermium formam tunc temporis in-  
 duentes, ut plurimum declarant observationes, in  
 quibus vel maxime Reaumurii nobilitata est in-  
 dustria. At hi vermiculi non omnes sine ullo  
 delectu appetunt aquas, sed tantum quæ sta-  
 gnant, foetentque. Si ergo ineunte æstate aqua  
 primum pellucida, & fluens corrumpi incipiat,  
 & stet, sine mora ingenerantur vermiculi, quo-  
 rum numerus multiplicatur in dies, si corruptior  
 evadat; dumque est corruptissima, adeo excrevit  
 & ille, ut aqua ipsa maximam partem videatur  
 in vermiculos immutata. Quod si vel naturali-  
 ter, vel consulto aqua foecibus abjectis omnibus  
 perspicuitatem ingenitam recuperaverit, non mul-  
 to post vermium multitudo se se observantium  
 oculis subtrahit.



Atque hic nescio, ut argumento refellendo propius accedam, an exemplum in medium afferri possit aliud, quod magis convenienter cum Needhamiano sit comparandum. Certe inter aquæ putrescentis vim, & vermiculorum ortum tanta est conjunctio, ut dubitandum omnino sit, an vix quæpiam sit illustrior. At dicendumne propterea est tabescentem materiam in vermiculorum naturam vere immutari, principio plastico nescio quo tantæ metamorphoseos opifice? An potius certissimum illud est vermiculos id genus ex feminibus peculiaribus originem ducere, evidenter id suadentibus aureis Swammerdamii, atque Reaumurii Lucubrationibus? Qui propterea a putrescente aqua nunquam sunt sejuncti, quia eisdem putrescentes particule cedunt in cibum; indeque fit, ut in aquis perspicuis nunquam appareant, in ipsis perspicuitatem adeptis, in ediam satis diu tolerare nescii, deficient. Si itaque universa vermiculorum phænomena ita pendent a tabescente materia, ut hæc non causæ, sed meræ conditionis fungatur munere, quidni erit pronuntiandum probabiliter idem de animalculorum phænomenis, præcipue cum utrobique tanta rerum similitudo intercedat?

Ex hætenus dictis nullo negotio diluta remanet altera objectatio, quam in me urget Needhamus, quamobrem scilicet aqua, quæ leguminibus careat, sitque, ut loqui amant Chymici,

de-



*destillata*, & in vasculis mundis affervetur, vel nulla, vel paucissima procreet animalcula. In id enim phænomenon explicandum incumberem, si esset in maxime manifestis immorandum.

Potius duo, quæ sequuntur, expendamus objecta, quorum cæteroquin solutio mihi videtur paratissima. Acceleraturne leguminum infusorum corruptio? Ecce tibi prodeuntem citius animalculorum familiam. Curaturne, ut infusa legumina segnius tabescant? Segnius etiam animalcula se produnt. At quomodo concilianda isthæc acceleratio, vel retardatio cum decantatis feminibus animalculorum auctoribus?

Nihil, si recte judicem, expeditius, nihil rei, qua de agitur, accommodatius. Quænam enim, obsecro, est causa, quamobrem grana leguminum citius corrumpantur, nisi caloris acceleratio? At eadem causa nonne promovet & feminaum ortum? Non ergo mirandum, si citius in lucem veniunt animalcula; mirarer potius si cunctarentur. Ubi vero dixerim de festinatione animalculorum, mihi videor etiam ob contrariam causam de cunctatione dixisse.

Sed nunc me vocat argumentum illud, cui plurimum fedit Adversarius, petatum ex longe maximo animalculorum prodeuntium discrimine ab ea duplici farinæ triticeæ parte, quæ *amylacea*, & *glutinosa* distinguitur nomine. Si enim farinæ pars utraque separatim sub aqua locetur,  
ut



ut digeratur, glutinosa tantam animalculorum vim sibi vindicat, ut amylaceæ ulla vix relinquatur. At undenam tanti discriminis ratio in Syltemate de Seminibus, inquit Philosophus Anglus? Si enim animalculorum propagatio fit per femina, jam cum pari horum copia imbuatur pars amylacea, & glutinosa, par etiam foret plus minus animalculorum numerus ab utraque expectandus.

Non recusem, si hæc duo partium genera tota via inter se non differrent. Periculis enim in utraque susceptis, amylacea pars, observante Beccario, testatur omnes vegetabilium notas, ubi glutinosa, quasi indolis ingenitæ oblita, ejusmodi est, ut ab animante quopiam videatur profecta. Quo posito evanescere videtur Needhami admiratio, cur animalculorum concursus fiat nullus in amylacea, maximus in glutinosa. Ut cumque enim animalculorum seminibus ex æquo referta esset utraque, nonne promptissimum esset inferre, quod quemadmodum nascuntur facile femina in glutinosa, ita ob contrarium ingenium nasci prohibeantur in amylacea? Nonne palam hoc faciunt innumera insectorum ovula, quæ si e loco ad excludendos foetus sibi a Natura comparato exturbentur, sine ulla dubitatione deficiunt? Licet enim complura viventium ovula, minutissima presertim, atque levissima, præfixis sedibus non coerceantur, sed hac illac ventorum ludi-



ludibrium fluctuent in aere, rem tamen aliter contingere in aliis manifestissimæ testantur observationes. Sic pleraque muscarum genera, instinctu ducta plane admirando, crescentes plantarum ramulos, vel earundem tenerrimum germen transfigunt aculeo, ut ova ibi ponant. Aliis in consuetudine receptum est, ut terebrato duriore quadrupedum corio, vel tenella eruicarum cute, illuc nascituræ prolis spem ponant. Alia non minore ingenii laude ovula condere didicerunt in penitioribus brutorum naribus. Hæc in frequentissima Insectorum familia ova ponunt, implicantque in involucra vel ex tenui, mollissimæque corporis lanugine comparata, vel ex arborum foliis mira arte glomeratis, atque contortis, ubi debite fota statuto tempore vermiculos generis servatores effundunt. Illa non minus sagacia cellulas affabre elaboratas sibi componunt qua terreas, qua papyraceas, qua cereas, quibus ova concredunt. Neque desunt, quibus pro lege positum est hæc ipsa figere vel in carnes putredine labefactatas, vel in florum calices, vel in pomorum meditullium. Pleraque nidificare juvat sub terra, pleraque subter aquas; neque huic animalium generi omnes omnino in deliciis sunt aquæ, sed quibusdam arrident falsæ, quibusdam dulces; his fluentes, illis stagnantes; pluribus illimes, & nitidæ, nonnullis lutulentæ, & corruptæ. Verum fac, ut illa insecta in errorem indu-



ducta ordinem turbent, seu potius ipse consulto id efficias, cum de hoc errore in hisce bestiolis, nescio quo lumine ductis, sit desperandum. Ova itaque suis sedibus religiose commissa ita exturbes, ut aquis dulcibus credita migrent in falsas, vitiatas natantia misceantur perspicuis, quæ amplexantur fluentes sibi arripiant stagnantes; solo humenti infixas in ficcum, & pulverulentum jaciantur; lucidis solis spiculis objiciantur, quæ in abditis involucrorum, cellularumque latebris antea delituere: eque florum calicibus, nucleo pomorum, animantium corporibus ea tandem summoveas, quæ ingeniosa matrum sollicitudo hisce locis, fidelibus quasi thecis, custodienda commisit. Quid tum? Fœtuum rudimenta ovis inclusa peribunt, deficientibus ob situum insolentiam requisitis apprime conditionibus, quamobrem ipsa feliciter excludantur. Quarum conditionum defectione sterilia etiam evadent animalculorum semina, quibus referta supponitur triticeæ farinæ pars amylacea: nisi cogitandum sit potius animalculorum defectum ex seminum defectu proficisci. Fieri enim fortasse potest semina id generis non iis adscisci, quæ per aera vagantur, & temere adhærent corporibus, potius imo in illorum censum venire, quæ in loca propagationi secunda deponunt parentes, quæ ab iisdem propterea in amylacea substantia pariendis abstineant, futuræ veluti præscia sterilitatis.

Si-



Sive itaque proportio spectetur inter animalcula numero gradatim increbrescentia, & leguminum naturam non absimili ratione in corruptum corpus degenerantem; sive eorundem in tabescendo festinationes, cunctationesque similibus animalculorum inter prodeundum vicibus accommodatæ; sive horummet absentia & in aqua jam destillata, & in amylacea farinæ parte: universa hæc phænomena, aliquot abhinc annos a me, dum observationibus hisce vacarem, detecta, recensque a Needhamo in me ipsum retorta, hæc inquam phænomena ita in sententiam de Seminibus apte videntur quadrare, ut Virium Plasticarum suppetias non desiderent (a).

## C

## Non

(a) Unum superesset argumentum, idemque gravissimum expendendum. Cum vasculum vitreum succi carnis assæ refertum, obturatumque cineribus fervidissimis per aliquot minuta supposuisset Needhamus, idemque triduo, vel quatrinduo post aperuisset, in succo per lentem explorato vim magnam animalculorum deprehendit. Quo intulit animalculorum originem ovulis, vel seminibus nequaquam deberi: in tanto enim æstu diruenda erant, si qua extitissent, ovula, vel semina. Experimento eodem a me redintegrato spem fefellit eventus. Vascula scilicet per horam in ferventem aquam injecta, & post aliquot dies subtiliter explorata, animalibus vacua discesserunt. Hoc tantum inter me, & Needhamum interfuit, quod vasculum suum obturamento ex subere parato fuit clausum, nostra vero sigillo, ut ajunt, hermetis obsignata. Cum enim de re gravissima ageretur, removenda erat usquequaque suspicio ovulorum, quæ in vascula fortasse possent irrepere. Lignea autem obturamenta, præsertim ex subere quasita ob pororum copiam ad id videbantur minus idonea, sigillum vero hermetis longe omnium aptissimum.

Needhamus in suis Animadversionibus putat me plus æquo vim ignis intendisse, ob eamque causam animalcula non appa-



Non equidem inficias eo in rebus his minutissimis, quas nulla oculorum acies quamlibet acris assequi potest, nisi vitris, eisdemque excellentissimis sit communita, aliqua interdum occurrere vel nebulis obsita, vel a communi Naturæ consuetudine aliquanto abhorrentia; at non propterea illud Systema præcipitanter est ejurandum, quod non hominum credulitas invexit, non fervida imaginandi libido commenta est, sed inconcussæ confirmant observationes, eæque adeo iteratæ, adeo multæ, adeo quaquaversus collectæ, ut universalis quædam Naturæ vox videatur. Quot enim, obsecro, Animalium procreationem, propterea quod illius causa in abdito esset, Viribus Plasticis, vel principiis non longe absimilibus prisca ætas adjudicavit, cum præsens, atque superior melioribus in disquirendo artificiis instructa, patefe-

ruisse: apparitura vero arbitratur, si remissiori utar igne. Quare mihi auctor est, ut ignis experimenta instaurem: & si forte exitus sua vota frustretur, discessurum de sua sententia publice pollicetur. En ejus verba candoris plenissima: „ Si Mons.  
„ Spallanzani ne trouve à l'ouverture de ses vases rien de vi-  
„ tal, ni aucun signe de vie, j'abandonne mon Système, & je  
„ renonce à mes idées. C'est, je crois, tout ce qu'un Adver-  
„ saire judicieux peut raisonnablement exiger de moi.“ pag. 218.  
Quem non cepisset comis hæc invitatio? Sed quo fuit humanior, eo mihi ipse fui difficilior. Nondum enim mihi placere poteram, nisi rem modis omnibus torquerem, in eaque tantam diligentiam asserrem, quantam subtilissima quævis investigatio postulare. Sed dum in hæc acrius incumbo, ita in molem exurgunt, ut minus Prolusionis angulo implendo se accommodent, quam cumulatam dissertationem desiderent. In hac itaque italico sermone conscripta quæ mihi interroganti respondere Natura de-  
dignata non est benevolus Lector inveniet.



refecerit genera hæc animalium, e propriis feminibus, sicut cætera omnia, derivari? Vos vos appello præclarissima Europæ lumina, Redios, Malpighios, Vallisnerios, qui solis instar, simul ut exoritur, noctem fugantis, tenebras pulcherrimum Naturæ aspectum turpiter foedantes, sine mora expulistis. Vos jactata illa metamorphoseon portenta erucarum in papiliones tanquam commentitia, & monstrorum similia, funditus evertistis. Vos Insectorum ortum, quibus potissimum vitiatae carnes hospitium largiuntur, atque alimentum, nobilitastis. Vos animalcula illa, quæ in grandiorum visceribus nidificare sunt solita, ab injuria ipsis illata, ut in gratiam principii plastici lucem hanc introirent, vindicastis. Vos viventium minutissimorum in arborum tuberibus degentium originem, antehac incognitam, atraque circumfusam caligine, lucidissime retexistis. Observationes sedulitatis, diligentiae, sagacitatis plenissimæ, captatae occasiones, & tempora, instrumenta ad experiendum exquisitissima, iterum, ac sæpius instaurata tentamina, in indagandis Naturæ ingeniis excogitatae caliditates, ac quasi doli; hæc inquam universæ cautiones dubium non est, quin pari ratione obscuriora quædam animalculorum toties memoratorum phænomena sint collustraturæ. Præoccupatae in primis Hypotheses, siquæ nobis in amoribus essent, deleantur ex animo, Natura candide interrogetur, illius responsa fideliter, & sine mentis additamen-



to notentur, hæc invicem conferantur, conclusiones alia ex aliis, sed paræ, sed proximæ, pro-  
noque veluti fluentes alveo, corriventur. Hac  
nempe ratione veritatem dabitur contueri, Deam  
scilicet illam, cujus amore incendimur, quam sol-  
licito indagamus labore, quæque inventa animos  
suavissima voluptate perfundit. Hac methodo a  
Majoribus posthabita, diu, multumque humilis,  
languentique similis jacuit Naturalis Historia; ea  
vero a Recentioribus majorem in modum excul-  
ta, non modo respirare visa est Facultas hæc no-  
bilissima, sed brevissimo temporis spatio ad im-  
mortalitatis gloriam perducere.

Atque utinam in suis Scriptis cudendis ho-  
rum vestigiis semper institisset Buffonus! Hæreo  
anceps an gratiam cum ipso tunc inivissent Par-  
ticulæ, sic ille vocat, *organicae*, inusitata Typo-  
rum genera, quibus hæ confinguntur, mutuus  
quasi amor, quo se invicem prosequuntur, ea-  
rundem in Viventium corpora coagmentationes,  
vis ab impulsione omnino dispar, aliæque id ge-  
nus Hypotheses, quæ quantopere sanioris Philo-  
sophiæ sint amicæ, vestrum, Auditores sapien-  
tissimi, esto judicium.

Neque vero hæc a me ita disputantur, ut  
contendam vel Buffonii auctoritatem minuere  
(quis enim ego sum, qui cum tanto Homine  
congrredi audeam?) aut vos, lectissimi Adole-  
scentes, ab eo legendo, meditandoque amovere.

Po-



Potius ipse vobis sum auctor, si a pulcherrimo hoc studio non modo expoliri, sed etiam perfici in animo sit, ut eundem frequenti manu verferis, modo id semper defixum oculis habeatis, in pluribus non huic fortasse deferendas esse primas, potissimum cum rebus disputationem involventibus Buffoniana interponenda venit auctoritas. Hujus experiundi, opinandique rationem cum illa componitote, quam vobis splendide impressam reliquerunt, quos superius nominavimus, celeberrimi Auctores, in primis vero ille, quem Naturalis Philosophia adeo nobilitaverat, Reaumurius. Cumulatissima sunt promerita utrique Gallo communia, sed unius opiniones, & cogitata severiore alterius temperentur judicio. Ambo, si ingenii fertilitatem consideres, eo amplitudinis, atque excellentiæ pervenerunt, ut in florentissimo hoc sæculo, in tanta Naturæ Investigatorum ubertate vix aliquos habeant pares, superiorem certe neminem. Ambo in ea Naturalis Scientiæ Provincia, quam pertractandam aggressi sunt, omnium expectationem vicerunt, ille quidem Animalium minorum, hic grandiorum Regnum æternitati commendans. Ambo veluti e cœlo delapsi rebus pridem involutis, perturbatis, difficilibus perspicuitatem indiderunt, ordinem, facilitatem. Sed observandi artificiiis instructior Reaumurius singillatim phænomena perscrutatur, lente expendit, prudenter comparat, aliaque



que ex aliis colligens abditas rerum causas, nec ita infrequenter, felicissime evolvit. Vividior Buffonus imaginandi vi præditus, rerum perscrutandarum haud patiens, in promptu posita tantum persequitur, abstrusiora vero, tanquam delphico Oraculo instructus, divinando concludit. Ille nihil sibi tribuens, phænomena, ut a Natura repræsentantur, videt: hic genio suo indulgens, plus semel phantasiæ depicta coloribus contuetur. Oratione ille utitur simplici, læta, nec ineleganti, in eo tamen nonnihil fortasse peccante, ut singula secet minutius: hic magnifica, supra fidem diserta, eo sententiarum pondere ornata, iis verborum luminibus illustrata, tot, tantisque alliciendi, suadendique lenociniis communita, ut Oratorum hujus memoriæ facile Princeps habeatur, & sit. Quid ergo ex Buffonii, imo ex aliorum generatim Lectionibus hauriendum, quid declinandum, jam habetis perspectum; in eoque vobis non ipse tantum, vixtum enim attendenda videretur hortatio, sed Viri consulunt longe gravissimi, qui nullis unquam Hypotheseon illecebris irretiti quid liberali Juventuti præstandum & ad suscipiendam, & ad ingrediendam Naturalium Studiorum rationem, præceptis non modo suis, sed facinoribus, iisdemque magnificentissimis significarunt. Horum exempla publicis meis prælectionibus vobis ob oculos ponere, vobis inculcare non desinam.

Agite igitur, optimi Adollescentes, in hanc pulcher-



cherrimam Sapientiæ partem alacri animo intendite, assiduisque laboribus in litterario hoc pulvere desudate. Hoc in primis a vobis repetit MARIA THERESIA PRINCEPS AUGUSTISSIMA (cujus Numini pro meritis cumulatissime in me collatis immortales semper gratias habebo), eademque in litteras, Litteratosque Homines beneficentissima, quæ Ticinense Gymnasium Naturalis Historiæ laude, quam desiderabat jamdudum, ac quasi tacite postulabat, illustravit; idque hac tempestate, qua illud innumerabilibus ornamentis usquequaque petitis adeo locupletavit, ut non auxisse videatur, sed condidisse. Hoc efflagitant summi, amplissimique per Insubriam Administri sollicitudines, Viri & in rebus publicis præclare, feliciterque gerendis, & in bonarum Artium commodis amplificandis longe omnium spectatissimi; & de liberalibus disciplinis qua gravioribus, qua humanioribus vel ingenio ornandis, vel auctoritate tuendis, adeo optime meriti, ut ipsæ certatim Hunc omnes tanquam sui Cultorem studiosissimum, atque Patronum amantissimum sibi petiisse videantur. Hoc suo veluti jure ambit hæc ipsa rerum Naturalium Facultas, qua sive facilitatem sequamini, nihil expeditius; sive delectationem, nihil jucundius; sive dignitatem, atque amplitudinem, nihil illustrius, atque præstantius. Hoc publicis denique votis a vobis expetit Civitas hæc præclarissima, in Vestrum utilitates, & commoda egregie animata,



ta, quam Domicilium Scientiarum, Virtutis Stationem, illustrium Virorum Seminarium semper suspexerunt Italæ, atque exteræ Gentes, & tandiu erunt suspecturæ, quamdiu AUGUSTARUM Sanctionum manebit auctoritas, ad omnem scilicet æternitatem.

**F I N I S.**

omnes tandem in Cæsarem transfugerunt, ac  
 que ad hoc veluti iure sunt præcipue venerunt.  
 lina Faculas, que sive facilitatem sperantini, ni-  
 hil expeditas; sive delectationem, nihil iucundum;  
 sive dignitatem, atque amplitudinem, nihil illu-  
 strum, atque præclarum. Hoc publicis deinde  
 vobis a vobis expetit Civitas hæc præclarissimum  
 in Vobis militare, & commoda egregie animæ